



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue] voluminibus edita

**Speciano, Cesare**

**Brixiae, 1603**

Clericoruvm Nefandi Criminis reorum pœnæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10553**

**C L E R I C O R V M N E F A N D I C R I M I N I S**  
reorum pœnæ.

Ad hoc etiam habes Leon. 10. const. 11. Supernæ , in Bull. fol. 194. & eiusdem  
Pij V. const. 5. Cum primum , in Bull. fol. 924.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei . Ad perpetuam rei  
memoriam .

**H**ORRENDO illud scelus , quo pollutæ fœdatæque Ciuitates à tre-  
mendo Dei iudicio conflagarunt, acerbissimum nobis dolorem inurit, gra-  
uiterque animum nostrum commouet, vt ad illud quantum potest compri-  
mendum, studia nostra conferamus . Sanè Lateranensi Concilio dignoscitur consti-  
tutum , vt quicunque Clerici, illa incontinentia quæ contra naturam est, propter  
quam ira Dei venit in filios dissidentiæ , depræhenſi fuerint laborare, à Clero dei-  
ciantur , vel ad agendam in Monasterijs penitentiam detrudantur. Verū nē tanti  
flagitiū contagium, impunitatis spe, quæ maxima peccandi illecebra est, fidentius in-  
ualeſcat , Clericos huius nefarij criminis reos, grauius vlciscendos deliberauimus,  
vt qui animæ interitum non horrefeſcant , hos certè deterreat ciuilium legum vin-  
dex gladius ſecularis . Itaque quod nos iam in ipso Pontificatus nostri principio ,  
hac de re decreuimus, plenius nunc, fortiusq; persequi intendentes, omnes & quoſ-  
cunque Presbyteros, & alios Clericos ſeculares , & regulares, cuiuscunque gradus,  
& dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio clericali, omniq; officio,  
dignitate, & beneficio Ecclesiastico præſentis Canonis auctoritate priuamus .  
Ita quod per Iudicem Ecclesiasticum degradati, potefiat statim ſeculari tradātur,  
qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos hoc in exitio deuolutos, le-  
gitimis reperitur ſanctionibus constitutum . Nulli ergo omnino hominum liceat  
hanc paginam noſtræ priuationis, & decreti infringere , vel ei ausu temerario con-  
traire . Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis  
Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius ſe nouerit incurſum .

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo  
quingentesimo sexagesimo octauo, tertio Kal. Septembri, Pontificatus nostri An-  
no tertio .

Cef. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, indictio  
ne undecima , die verò tertia mensis Septembri, Pontificatus Sanctissimi in Chri-  
ſto Patris & D. N. D. Pij Papæ V. Anno tertio , retroscriptæ literæ Apostolicæ af-  
fixæ & publicatae fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Can-  
cellariae Apostolicæ , & in acie Campi Floræ , per nos Antonium Clerici , & Chri-  
ſianum de Monte prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Curſores .

Io. Andreas Panizza Magister Curs.

PRO-